


# PYRAMVS ET THISBE



Pyramus et Thisbe, iuenum pulcherrimus alter, altera, quas oriens habuit, praelata puellis, 57 contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem. Notitiam primosque gradus vicinia fecit,



60 tempore crevit amor; taedae quoque iure coissent, sed vetuere patres; quod non potuere vetare: ex aequo captis ardebant mentibus ambo.

63 Conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur, quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.



66 Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim, cum fieret, paries domui communis utriusque.

Id vitium nulli per saecula longa notatum (quid non sentit amor?) primi vidistis amantes






69 et vocis fecistis iter, tutaeque per illud murmure blanditiae minimo transire solebant. Saepe, ubi constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc, 72 inque vices fuerat captatus anhelitus oris, „invide” dicebant „paries, quid amantibus obstat?

75 Quantum erat, ut sineres toto nos corpore lungi aut, hoc si nimium est, vel ad oscula danda pateres? Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur, quod datus est verbis ad amicas transitus aures.”



78 Talia diversa nequiquam sede locuti sub noctem dixere „vale” partique dedere oscula quisque suae non pervenientia contra. 81 Postera nocturnos aurora removerat ignes,

84 solique pruinosas radiis siccaverat herbas: ad solitum coiëre locum. Tum murmure parvo multa prius questi statuunt, ut nocte silenti fallere custodes foribusque excedere temptent, .



87 cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquunt, neve sit errandum lato spatiantibus arvo, conveniant ad busta Nini lateantque sub umbra

90 arboris: arbor ibi niveis uberrima pomis (ardua morus erat) gelido contermina fonti.






...THISBE DOMUM SUAM RELINQUIT...



... AD SEPULCRUM NINI PERVENIT...



...CONSIDITQUE SUB ARBORE.

ET EADEM IPSA NOCTE...

95 Pacta placent; et lux tarde discedere visa praecipitatur aquis, et aquis nox exit ab isdem: callida per tenebras versato cardine Thisbe

96 egreditur fallitque suos adopertaque vultum pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit: audacem faciebat amor.



LEAENA, CUIUS RICTUS SANGUINE RESPERSUS EST, SITI COMMOTA FONTI APPROPINQUAT...



VAE MIHI! LEAENA!




99 Venit ecce recenti caede leaena boum spumantes oblita rictus, depositura sitim vicini fontis in unda;

99 quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe vidit et obscurum timido pede fugit in antrum, dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.



102 Ut lea saeva sitim multa conpescuit unda, dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa



105 ore cruentato tenues laniavit amictus. Serius egressus...







... vestigia vidit in alto pulvere certa ferae totoque expalluit ore Pyramus; ut vero vestem quoque sanguine tinctam


108 reperit, „una duos” inquit „nox perdet amantes, e quibus illa fuit longa dignissima vita;



111 nostra nocens anima est! Ego te, miseranda, peremi, in loca plena metus qui iussi nocte venires, nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus et scelerata fero consumite viscera morsu,

114 o quicumque sub hac habitatis rupe, leones! Sed timidi est optare necem.” Velamina Thisbes tollit et ad pactae secum fert arboris umbram,

117 utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,



„accipe nunc” inquit „nostri quoque sanguinis haustus!” Quoque erat accinctus, demisit in illa ferrum, nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit et iacuit resupinus humo: cruor emicat alte, non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo

123 scinditur et tenui stridente foramine longas eiaculatur aquas atque ictibus aëra rumpit.

Arbori fetus adspersione caedis in atram

126\_ vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix purpureo tingit pendentia mora colore.





129 Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem, illa redit iuvenemque oculis animoque requirit, quantaque vitarit narrare pericula gestit;



NONNE CANDIDI ERANT HUIUS ARBORIS FRUCTUS ?



VAEEE!

132 utque locum et visa cognoscit in arbore formam, sic facit incertam pomi color: haeret, an haec sit.



O ILLUM MISERUM!



OS THISBIS PALLIDA EST, CORPUS FIUS ITA TREMIT...

...UT AQUA, CUM VENTU LEVITER ATTINGITUR.

135 Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum membra solum retroque pedem tulit oraque buxo pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,




HEU, AMOR MEUS!

138 quod tremit, exigua cum summum stringitur aura. Sed postquam remorata suos cognovit amores, percutit indignos claro plangore lacertos



THISBE COMAS LANIAT ...



...ET CORPUS PYRAMI AMPECTITUR.



QUI CASUS TE MIHI ADEMIT? HOC TUA THISBE EX TE QUERIT! RESPONDE MIHI!

141 et laniata comas amplexaque corpus amatum vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori miscuit et gelidis in vultibus oscula figens

144 „Pyrame,” clamavit „quis te mihi casus ademit? Pyrame, responde! Tua te carissima Thisbe nominat: exaudi vultusque attolle iacentes!”





ET PROPECTO  
PYRAMUS  
OCULOS APERIT.



VAE MIHI!  
MANUS TUA AMOR-  
QUE TUUS TE  
PERDIDERUNT!



ET MIHI EST  
MANUS ET MIHI  
EST AMOR.  
TE SEQUAR!

Ad nomen Thisbes oculos iam morte gravatos  
Pyramus erexit visaque recondidit illa.  
147 Quae postquam vestemque suam cognovit et ense  
vidit ebur vacuum, „tua te manus” inquit „amorque  
perdidit, infelix! Est et mihi fortis in unum

150 hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires!  
Persequar extinctum letique miserrima dicar  
causa comesque tui; quique e me morte revelli  
153 heu! sola poteris, poteris nec morte revelli.



VOS AUTEM, PARENTES,  
QUI PROHIBUISTIS, NE  
NOS VIVENTES  
IUNGEREMUR ...



...CONCEDITE  
NOS IN EODEM  
TUMULO  
COMONI!



TU AUTEM, O ARBOR,  
QUAE MOX DUO CORPORA  
TEGES, COLOREM  
ATRUM TENE!

Hoc tamen amborum verbis estote rogati,  
o multum miseri, meus illiusque parentes,  
156 ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,  
componi tumulo non invidetis eodem!

At tu, quae ramis arbor miserabile corpus  
159 nunc tegis unius, mox es tectura duorum,  
signa tene caedis pullosque et luctibus aptos  
semper habe fetus, gemini monumenta cruoris!”



HIS VERBIS THISBE  
SE IPSAM PYRAMI  
GLADIO INTERFECIT.

occi!

162 Dixit et aptato pectus mucrone sub imum  
incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.  
Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes:



SED VERBA EIUS DEOS  
ET PARENTES MOVERUNT:  
ET COLOR ATER  
IN MORIS PERMANET ET  
UNA IN URNA REQUIESCUNT  
RELIQUIA AMANTIUM.

165 Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater,  
quodque rogis superest, una requiescit in urna.